# PETRUS FLAVIANUS TURGEON,

**Miseratione Divina & Sanctae Sedis Apostolicae Gratia Episcopus Sidymensis,**

**ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI D. D. QUEBECENSIS ARCHIEPISCOPI**

**COADJUTOR ET ARCHIDIOECESIS ADMINISTRATOR, &c., &c.**

***Reverendo*** Hieronymo Demers, Vicario Generali dictæ archidioecesis, ***Salutem in Domino.***

Cùm ad honorem utilitatemque religionis, ut in hâc Archidiœcesi, quœ nobis administranda tradita est, Concilium privatum & Generale in quo discutiantur atque expendantur res majoris momenti, instituatur ordineturque non parvi intersit, quòdque non minoris ponderis sit ut hujusmodi Concilium ex ecclesiasticis viris, non minùs divinæ gloriæ zelo quam scientiâ et experientiâ conspicuis, constet, Nos igitur, his maturè perpensis, te, utpotè illis eximiis dotibus, abundanter præditum, ejusdem Concilii privati et Generalis in membrum delegimus et nominavimus, hisceque præsentibus litteris deligimus et nominamus, plurimùm in Domino confidentes quòd ejusdem Concilii quibuscumque convocationibus, quantùm in te erit, prompto animo volentique sis adfuturus, ibique de rebus movendis ac dirimendis pro tuo judicio sano rectâque conscientiâ, liberè firmiterque sententiam aperias.

Datum Quebeci, in archiepiscopalibus ædibus, sub signo nostro, sigilloque Archidiœcesis ac Secretarii ejusdem Archidiœcesis subscriptione, die primo mensis Junii anno millesimo octingentesimo quinquagesimo

+ P. F. Epp[isco]us Sidymensis

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi
D. D. Sidymensis Episcopi.

C. F. Cazeau Ptre Secret.